

DEFUNCTI

P. Alfredus Müller (1888 - 1962)

(*Vice-Provincia de Resistencia*)

P. Alfredus Müller sane dignus esse videtur, cuius brevis vitae descriptio Analectis Congregationis inseratur. Fuit enim missionarius qui in tribus mundi partibus Verbum Dei sparsit: in Europa, Africa et America; et fuit unus ex illis, qui fundamenta Vice-Provinciae de Resistencia iecerunt ac primos lapides, qui huic operi perficiendo obstabant, paulatim removerunt.

Aetas puerilis et iuvenilis.

Natus est 9 feb. 1888 in Drohowyże, oppidulo Poloniae orientalis. Quo spiritu familia, in qua ortus est, duceretur, ex eo conici potest, quod ex octo liberis duo fratres nomen Congregationi SS. Redemptoris dederunt, Alfredus scilicet et minor natu Thaddaeus, et e quattuor sororibus soror natu maxima Carmelum Cracoviensem ingressa, per plures annos huic monasterio praefuit.

Studiis inferioribus et curriculo medio-classico peractis ac maturitatis periculo feliciter superato, Seminarium maius Cracoviense ingressus iam tum de apostolatu inter fratres luce Evangelii nondum collustratos somniabat. Sorori, quae tunc temporis Carmelum Cracoviensem petiit, tale votum et desiderium pandit: « Ora, ut evadam bonus sacerdos et missionarius, iesuita aut redemptorista ». Cum aliquo post tempore ceber redemptorista missionarius P. Bernardus Łubieński exercitia spiritualia alumnis Seminarii Cracoviensis praedicaret, vocatio clerici Alfredi plene sese evolvit ac maturuit: « redemptorista esse volo ». Ratio cur Alfredus Congregationem SS. Redemptoris praetulerit, fuit quidem eximia sanctitas ac zelus apostolicus P. Bernardi, sed etiam specialis cultus, quo Congregatio Redemptoriana B. Virginem Mariam prosequitur. Tamen per plures annos clericus et sacerdos Alfredus expectare debuit, priusquam ab Ordinario suo licentiam vitam religiosam amplectendi receperit.

Sacerdotii exordia.

Die 2 iulii 1911 ordinem presbyteratus recepit et mox munere vicarii paroecialis fungi coepit. Sed iam anno 1914, cum parochus loci vita cessisset, administrator huius paroeciae Niepolomice nominatus est. Iam tunc multa exempla zeli apostolici praebuit. Concionator strenuus vitium sese inebriandi impugnavit, oratoria in vicinis pagis extruxit, ut fideles facilius sacris interesse possent, Sorores a Resurrectione in paroeciam invexit, e quibus aliae pueros catechismum edocebant, aliae operibus piis et aegrotorum curae incumbebant, aliae rei oeconomicae providebant. Quater etiam in Germaniam profectus est, ut suos paroecianos, in laboribus ruralibus vel in officinis dispersos, inviseret, solaretur, eis Verbum Dei praedicaret. Non minus animo forti et audacia respenderit. Tempus fuit scilicet primi belli mundialis, annus 1914. Exercitus Russici prope Cracoviam constiterunt et aciem contra urbem direxerunt. Iuvenis sacerdos imperterritus pugnae campos etiam inter igneos displodentes globulos invisebat, ut vulneratis morientibus ultima Sacramenta administraret.

Congregationis alumnus.

Demum Episcopus princeps Cracoviensis Adam Stephanus Sapiuha iteratis precibus iuvenilis sacerdotis et parochi cessit et licentiam religiosam vitam amplectendi dedit. Alfredus igitur laetus et alacer in Mościska perrexit, ubi tunc temporis P. Bern. Łubieński Superior fuit, ut novitiatum ageret. Die 6 ian. 1917, festo Epiphaniae Domini, vota perpetua emisit, cui P. Łubieński, haec vota excipiens, sic portentebat: « Fortasse etiam te, carissime Confrater, vocationis Stella in terras longinquas, terras Missionum ducet, ut fidei lumen hisce terris ingeras ... ».

Missionarius in Congo.

Post peractum novitiatum P. Alfredus per 5 annos munere Directoris Iuvenatus fungebatur. Ast anno 1923 a superioribus Romam missus est, ut iuri canonico in Athenaeo Pontificio S. Apollinaris studeret. Romae P. Provinciali Belgico obviam factus, sese pro Missione in Matadi operarium evangelicum obtulit; quod cum Rev. mus Pater Murray probasset, in Africam profectus est, utique iuris laurea iam adeptus. In Missione Congolensi P. Müller per plures annos strenue laboravit, tum in Mangembo tum in aliis Stationibus Missionis. Cum tamen eius vires et corporis complexio non satis toleraret clima et temperiem Congolensem, anno 1929, licet aegre, in Poloniam revertitur.

Varij labores apostolici in Polonia.

Redux in Poloniam variis laboribus apostolicis occupabatur: tum missionibus tum exercitiis paroecialibus operam dabat, sed praesertim exercitia spiritualia Sororibus diversarum Congregationum, ut v. gr. Sororibus S. Elisabeth, S. Familiae Nazarethanae, a Resurrectione Domini et aliis praedicabat. In concionando severior fuit et austerus, timorem non raro incutiebat, ad magna,



P. Alfredus Müller

immo maxima excitabat; sed etiam vires et animum addere optime norat sive in confessione sive in directione spirituali, cui libenter indulgebat. Initio anni 1935 in Sueciam profectus, missiones colonis Polonicis praedicavit in Oskarström, Halmstandgarden et aliis locis; ac anno proxime sequenti similiter in Gallia: Avion, Lens, Calonne, Vendin, etc. His omnibus tamen minime contentus saepius superiores rogavit, ut iterum missionibus exteris sese devovere posset. Eius tam ardens desiderium mox iam opere complendum erat.

Missionarius in Argentina (1936-1960).

Anno 1935, instante Episcopo dioeceseos Uruguaianensis in Statu Rio Grande do Sul in Brasilia, Provincia Polonica curam religiosam eorum, qui e Polonia in has mundi plagas commigrarunt, assumpsit. P. Stanislaus Misiaszek paroeciam Polonicam in Três de Maio condidit. Ut alter missionarius pro hac nova fundatione P. Alfredus Müller a Superiore Provinciae Polonicae designatus est, ac die 21 sept. 1936 illuc profectus est. Attamen propter varias difficultates obortas hanc paroeciam missionarii Polonici mox reliquerunt. Et in Charata (Argentina), in dioecesi de Resistencia, novam paroeciam 14.000 km.², 50.000 incolarum diversarum nationum: Hibernorum, Italorum, Germanorum, Jugoslovarum, Polonorum, etc. excolere coeperunt. Sub aspectu religioso status paroeciae miser et miserabilis fuit. Permulti ex his « paroecianis » ne Baptismum quidem receperant, alii solum tria sacramenta noscebant: Baptismum, Primam Communionem et « solemnia funebria » post mortem, alii item non multo plura, nisi forte « fiestas » et processiones. Ad festum Paschatis anno 1938 celebrandum in oratorio publico, octo paroeciani convenerunt! Plurimi, praesertim viri, nonnisi Feria sexta Maioris Hebdomadae ecclesiam visitabant: hoc enim eis videbatur esse festum principale et unicum. In mortis periculo plerumque nulla sacramenta recipiebantur.

Omnia ergo a fundamentis extrui necesse erat. Cum mox iterum tres Patres missionarii Polonici in Argentinam, novo bello universali incepto, advenissent, altera paroecia curanda in Chaco eis commissa est, scilicet Villa Angela, 10.000 km.², 45.000 incolarum. Advenientibus novis operariis apostolicis, labentibus annis, etiam aliae paroeciae receptae sunt: Assumptionis B.M.V. in urbe Resistencia, Spiritus Sancti in Posadas (Misiones).

Labor missionariorum non fuit inanis in Domino. Annis 1938-1953 circa 50.000 baptismata collata, 414.000 Communiones distributae, 5.000 matrimonia benedicta, 42 oratoria exstructa, 3 domus paroeciales, praeterea circa 33 misiones et plura exercitia spiritualia praedicata in variis regionibus. In hoc labore P. Müller magnam partem habuit ut missionarius expertus, ut parochus in Charata, Villa Angela, Resistencia.

In Charata ecclesiam sub titulo B.M.V. a Perpetuo Succursu aedificare coepit, domum amplam pro coetibus paroecianorum exstruxit. In Villa Angela, ubi per 13 annos sudavit, auxit et renovavit ecclesiae aedificium, plura oratoria intra fines paroeciae erexit, aulam paroecialem cum suggestu pro fabulis scaenicis producendis construxit, culinam publicam pro pauperibus aperuit, periodicum « Vida Christiana » edi curavit. Resistenciae vitam paroecialem plantavit et pulchre evolvit.

Multum etiam occupatus fuit in exercitiis spiritualibus sororibus praedicandis, in earum directione spirituali, etiam visitationibus canonicis peragendis.

Ultimi vitae anni.

Haec intensa et, tam multiplex operositas, actio vires P. Alfredi pedetentim extenuavit. Anno 1957, suae vitae septuagesimo, prima vice paralyti tactus est, atque etsi vires ex parte recuperavit, non iam sicut prius intense laborare potuit. Tantummodo Missam celebrare et confessiones audire solebat. Minime tamen hoc morbo fractus est! Ab aliqua sorore interrogatus, cur ita laetus sit et serenus, etsi certe multum patiat, suo modo contradicente et aliquantulum petulante respondit: « Ergo quandonam gaudendum sit, si non in doloribus? ».

Anno 1960 etiam Poloniam visitare potuit, ubi anno sequenti suum aureum sacerdotii iubilaeum magna solemnitate celebravit, tum in paroecia quam olim administravit, tum Cracoviae atque Varsaviae. Initio anni 1962 in Argentinam rediit. Iam non multum laborare potuit. Eodem anno, mense septembri, crus infeliciter fregit. A medicis ad lectum damnatus ac thorace gypseo constrictus hanc otiositatem et immobilitatem diu tolerare non potuit. Noctu 21 sept. 1962 vita cessit, mane exanimis inventus est.

Fuit in eius indole quid irrequietum, indomitum — quod forte aliis quandoque aliquam molestiam intulit — quod eum tamen semper nova, saepe insolita et maxime ardua aggredi impellebat, et certe multa pro Dei gloria, Ecclesiae incremento, animarum salute exantlavit.

M. PIROZYŃSKI, C.SS.R. - T. KACZEWSKI, C.SS.R.

